
B. N. C.
FIRENZE
1043
18



Digitized by Google

Mus. 1043 . 18


MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1043
18

A I

FRANCISCI BONCRISTIANI I· V· D·

Et Pis. Primatialis Ecclesiæ Cappellani.

PRO EIUS UNIVERSITATE In Emphiteotica Quastione

RESPONSUM.



PISIS,

Ex Typographia Tanagliana. 1630.

Superiorum consensu.

1043·18

ADSIT DEVS.



VONIAM Sacræ Scripturæ Testimonio à Capite Membra discedere non decet, *vt notatur in cap. 1. dist. 12. & cap. celebritatem de Consec. dist. 3.* ideò ne Capiti (meæ scilicet Vniuersitati) cui in hac Causa Præclarissimus est Aduersarius, aut prorsus inutile Membrum, aut Rebelle (quod absit) videar, iustissimam eius defensionem præcipuèque rogatus pro virium tenuitate aggredior. Præmittendum itaq; in facto est; Quod admod. RR. DD. eiusdem Vniuersitatis Camerarij annuo solitoq. More fecerunt quandam declarationem, per quam, & in qua declarant Emphiteutis, seu liuellarijs, acceptare Bona ad dictam Vniuersitatem reuersa ob Canones non solutos (vt ex ea latius innotescit) Qua stante Illustris.& Admodum R. D. Paulus Ruschius Canon. Pis. dictęque Vniuersitatis Emphiteuta, qui per triennium à Canonis solutione cessauit, bona sibi caducata dimittere,& relaxare pretendit, quæ Pretensio inanis quidem est & vacua; Ipse namque D. Paulus tamquam species exépta, & extracta de genere sub eius generalitate non comprahenditur, *iuxta tex. in l. 2. ff. si cert. pet. in l. cum de lanionis §. si cui fundum, & §. quidam ff. de fun. instr. & l. legata ff. de supel. leg.* Et nedum ex verisimili, & præsumpta, verum etiam ex declarata Mente, & Verbis ipsorum Camerariorum exemptum, & exclusum esse manifeste probatur.

1 Et in primis cum acceptatio dictorum bonorum varijs,& probabilibus ex Causis sit pręiudicialis, & damnosa Vniuersitati (vt D. Paulus ex affectata,& perquisita illorum restitutione satis ostendit) argumento eorum, quæ de Tutore affectante tutelam habentur *per Corn. conf. 284. in præsenti num. 8. lib. 3. & Soc. Iun. conf. 59. n. 38. lib. 5.* ideo circa prędicta Bona nullus Camerariorum consensus, nec acceptatio verisimiliter præsumi debet, *l. obligatione generali cum ll. seq. ff. de pig. ex quibus vrget in sim. Ludouis. decis. 227. n. 7* Et hinc est quod in generali fideicōmissorum acceptatione acceptatio fideicommissi inutilis, aut damnosi non venit, *vt latè, & præ*

clare in proposito Crau. cons. 33. à num. 4. & ea potissimum accedit ratio quia verba generalia restringenda veniunt, vt capiant commodum,& non incommodum illa proferentis, *Paris. cons. 96. num. 16. & 17. par.* 3. eoq. magis in casu nostro, cum Camerarii Vniuersitatis conditionem meliorem quidem facere, deteriorem autē ex tali acceptatione, vel ex alio actu non possint, *vt ad viuum Alex. cons. 7. in fi. lib. 7.*

2 Et quod ex facto ipsorum non obligetur Vniuersitas, nisi eius speciali Mandato precedente, vel Rati habitione sequuta habetur *ex eodem Alex. in cons. 17. in causa nu. 2. lib. 6. & cons. 135. viso processu à num. 1. lib. 7. per Glos. quam notabilem, & mag. com. approbatam inquit in l. item Magistri, vbi idem not. Bart. ff. de pact. ref. & seq. Gratian. decis. 93. n. 15. vers & vltra, & Ias. in l. Præses n. 9. vers. secundo limita C. de transf. declarando tex. in dicta l. item Magistri, dicit quod talis electus ab Vniuersitate, vel Capitulo alicuius Ecclesiæ, censetur tamquam simplex, & priuatus Procurator secundum Cin. & Bald. quos allegat in l. 1. C. etiam per Procur. & faciunt de Romanæ Ecclesiæ Camerario tradita per Ruyn. cons. 116. num. 1. vol. 1.*

3 Vnde dato nō tamen concesso (quia experimento quotidie falsū redditur) quod Camerarij haberent generale Mandatum à principio, ac propterea illud asserēti onus probandi incumbit *ex l. si quis mihi bona §. iussum. ff. de acq. hæred.* hoc tamen nō sufficeret, quia Procurator etiam vigore mandati generalis nec remittere, nec declarare caducitatem potest, sed speciale Mandatum requiritur, *vt in term. copiosè firmat Gratian. decis. 49. nu. 25. & 34. & Ludouis. decis. 520. num. 7.* ratio fundamentalis est, quia caducitatis declaratio pendet à mera voluntate Domini, *l. 2. ibi si Dominus voluerit C. de Iure Emphit.* quę autem in Domini sunt voluntate, per Procuratorem absq. speciali Mandato declarari nequeunt, *Seraphin. decis. 1100. nu. 7. Caualer. decis. 348 nu. 2. & Ludouis. decis. 268. nu. 7.* quod speciale mandatum, vel etiam Rati habitio cum non adsit in casu nostro, indubitanter sequitur, vt ex prędicta declaratione nullum Vniuersitati præiudicium illatum, nullumque D. Paulo ius quæsitum fuerit, cum Camerarij id quod non habent transferre non potuerint: *vulga. Reg. l. nemo plus cum ibi not. ff. de reg. iur. Paris. cons. 25. n. 30. par. 4.*

4 Ac propterea sui Officij, & potestatis rectè conscij in eius compilatione cautè dixerunt: *quod per eam, Vniuersitatis indemnitati prospicere, & prouidere volunt*, qua ex clausula quis non videat, quod causa finalis istius declarationis (a qua causa omnis actus declaratur

vt for-

vt formaliter inquit Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 7. num. 45.) fuit, & est indemnitas Vniuersitatis? Quæ indemnitas cum cesset, quin potius damnum emergat in casu nostro, igitur ea cessante, effectus etiam nempe acceptatio caducitatis D. Pauli cessare debet *l. adigere §. quam vis ff. de iur. pat. c. cum cessante de appellat. & c. magne de voto.* & consequenter cum prędicta verba D. Paulo non conueniant, eidem neque declaratio conuenire debet, *l. ita autem in princ. ff. de admin. tut. l. 4. §. toties ff. de damn. infec. Afflict. decis. 355. n. 8.*

5 Et licet emphiteutę nomen, & caducitas illi conuenire videatur, stante tamen adiuncto, non simpliciter de Emphiteuta, sed de eo per cuius caducitatem Vniuersitati consultum, & prospectum fuerit, intelligendum est; verba enim propter adiuncta declarantur, & limitantur: *Roman. cons. 438. num. 9. vers. Nec mirum, Paul. de Castr. cons. 356. num. 3. ibi Nam verba propter Adiuncta. volum. 1.* & nulla est generalitas, quę ex circumstantijs non restringatur, vt nouissime *Excell. D. Phil. Facchin. in acerrimo, & insigni suo Cons. contra forens. de Mutina, super generalitate Stat. Florentini*; alioquin ista declaratio contra Camerariorum mentem expressumq; Propositum, & vltra eorum officij potestatem operaretur, quæ, duo essent absurda, primum *contra l. non omnis ff. si cert. pet. per quam idem arguit Crau. d. cons. 33. num. 8.* alterum vero contra *l. fin. C. de appar. Procons. lib. 12. vt per Gratian. decis. 78. nu. 6.* quin etiam operaretur contra Naturam actus de quo ipsa declaratio loquitur *contra tex. in l. si stipulatus ff. de vsur. in l. si vno in princ. vbi Bart. ff. loca. per que Iura concludit Alex. cons. 53. num. 6. vers. & plus est. lib. 7. quod verba etiam impropriantur, vt menti deseruiant, & secundum rei Naturam subiectamq. materiam intelligantur quod dictum ref. & seq. Dec. cons. 387. num. 4. & post alios Crau. cons. 86. sub n. 5.* est enim inter Naturalia Contractus Emphiteotici, vt caducitas nō committatur; nisi pręcisè volente, & consentiente Domino *d l. 2. vbi Ias. & alij C. de Iu. Emphit.* quod verum est in Priuato, sed maxime in Ecclesia, *Redoan. de reb. Eccl. non al. quæst. 2. cap. 22. num. 13. ex Speculo in tit. de Emphit. §. nunc aliqua num. 22. vers. 13. quęritur. allegante in Emphiteutam famosum illud Euangelij, Non ne potestatem habeo crucifigere te, & dimittere te? ad idem Alex. cons. 173. num. 7. lib. 2. & plenius cons. 106. viso Themate num. 3. & 4. lib. 4. vbi ex eod. Spec. & Io. Andr. notabiliter refert*: quod si Dominus in Contractu Emphiteotico concedat Emphiteutę generalē licentiam vendendi, & concedendi cuicunq. voluerit, non tamen

ven-

vendere, seu alienare poterit absq. speciali consensu, & requisitione eiusdem Domini, pro ut de Iure Com. fieri debet, quia illa generalis Clausula continens licentiam vendendi, debet intelligi secũdum Naturam Actus cui apponitur *d. l. si stipulatus cum sim.*

6 Ex quibus pariter infertur, quod declaratio Camerariorum facta Emphiteutis, de illis intelligenda est, quorum caducitatem specialiter maluerint, sibiq. fauorabilem, non damnosam, & odiosam esse viderint *arg. l. lucius §. lucius Titius Damam ff. de leg. 2. vbi liberti iam dimißi, & Domino odiosi, non veniunt in eius legato, omnibus libertis generaliter relicto. quam l. in proposito commendat Rom. cons. 438. num. 7. & Alex cons. 99. nu. 1. lib 6. & optimè faciunt trad per Dec. cons. 28. num. 7. vers. Nec obstat.* vbi voluit verbum *Caducitates* in numero plurali positum in libello, in vna tantum caducitate singulariter resolui, adhoc vt ibi verba libellantis intelligantur, & declarentur ne contrarietatem, & repugnantiam contineant *argumento c. cum dilectos §. caeterũ de fi. instr.* & ne Actus agentis contra eius intentionem operetur, *ex l. si quis in intentione ff. de iudic.* Ergo, & in casu nostro declaratio caducitatis facta pluraliter Emphiteutis, secundum intentionem Camerariorum singulariter intelligi, & declarari debet, ne vltra supradictas contrarietates, & absurda, sequatur etiam, quod actus mere voluntarius, & fauorabilis (vt patet *ex d. l. 2. ibi si Dominus voluerit. per quam idem trad. & de com. testat. Bursat. cons. 12. num. 48. lib. 1. & Spec. d. §. nunc aliqua*) fiat illis necessarius, & odiosus *contra tex. in l. cum te C. ne vxor pro mari. & Tiraquel. de retract. lignag. §. 33. glos. 1. & vnica num. 60.*

7 Maxime quia D. Paulus ante prædictam declarationem pluries ab illis requisitus, & interpellatus fuit, vt debitos Canones soluerret, quin etiam per Curiam Reuerendiss. D. Vicarii Preceptum habuit, vt ex actis constat, per quam Iudicialem Canonis petitionem, tamquam per receptionem, caducitati renunciatum intelligitur *l. ad solutionem C. de re iud. & per eam Ias. in d. l. 2. num. 128. quem prosequitur Tiraq. de retr. conuent. §. 1. glos. 2. n. 61. Ruin. cons. 166. num. 14. vol. 3. & de com. Glossarum opin. testatur Roman. cons. 103. num. 5.* quod tamen non procederet, si Camerarii interpellando, vel Canonem recipiendo, remitterent caducitatem in preiudicium Vniuersitatis, *vt per Dec. in term. cons. 329. vers. ad hoc successiue n. 3.*

8 Vnde cum à pari procedant remittere, & declarare caducitatẽ, *vt per Surd. decis. 317. n. 6. quem ref. & seq. Grat. d. decis. 49. n. 36.* sicut Camerarii afficere, & præiudicare non possunt remittendo caduci-

ducitatem, *vt ibi per Dec.* ita nec etiam declarando, vt prętendit D. Paulus, quem declarationis verba non capiunt, & præcedentis interpellationis actus iam exclusum declarat *arg. l. qui filiabus, & l. si seruus plurium ff. de leg. 1. Parif. conf. 14. num. 31. par. 1. & Ruin. conf. 222. n. 14. vol. 1.* maxime cum iste actus sit particularis, & specialis contra D. Paulum, nam ita generi per speciem derogatum fuit, *ex Reg. Generi de reg. Iur. in 6. & l. in toto iure ff. eod. tit. Dec. conf. 454. num. 10. & conf. 664. num. 8.*

9 Quibus deniq. accedit stilus Curię, ex quo, facta generali declaratione, & lapso tempore Morę, ad libitum specialia pręcepta fiunt, fierique possunt, & sic generalis declaratio non ex necessitate, sed declarantis electione, & voluntate in specialitates resoluitur, & cum stilus Curię vim legis habeat, non est ab eo recedendum: *Crau. conf. 201. n. 22. Afflict decis. 135. n. 3. & Grat. decis. 237. à n. 18.*

10 Quibus pro Vniuersitate sic stantibus non obstat *Corbul. de Cau. priua. ob non sol. can. ampliat. 45. num. 11.* dum inquit, quod Dominus acceptando confessionem Emphiteutę, qui fatetur rem ob non solutum Canonem deuolutam esse, ipsius Emphiteutę priuationem acceptare, & declarare dicitur, *ex Dec. in conf. 146. pro tenui num. 4. & alijs.* His namque respondetur.

11 Primo, expresse negando, quod Camerarii oblatam sibi D. Pauli confessionem acceptauerint, quinimmo ex speciali Vniuersitatis Mandato, reluctantes, & contradicentes se se opposuerunt, vt Acta demonstrant, quæ faciunt rem notoriam, ergo & fundamentum corruit: *ita Roland. conf. 41. num. 30.*

12 Secundo, respondetur, quod Corbul. enumerat actus ex quibus declaratoria voluntas Domini tacite colligitur, qui actus in personam Emphiteutę particulariter, & specialiter influunt, vt ad sensū ex ipsomet Corb. & Dec. per eum allegato, nam ibi loquitur Dec. de particulari, & personali declaratione contra Ioannem Emphiteutā, vt patet in vers. *Primo quia conuènit ipsum.* & in his term. sentiunt, & loquuntur *Redoan. de reb. Eccl. non al. q. 76. num. 9. vers. Exemplum ego darem. Ruin. conf. 167. num. 14. vers. Et quia fuit inuestitus vol. 1. Alexan. dicto conf. 106. num. 6. uers. Eo ipso quod inuestiuit lib. 4. & alij relati per Corb. d. Ampliat. 45. n. 8.* quos omnes in fonte vidi. Vnde non mirum si in his term. resultet acceptatio Domini, Nos autem è contra loquimur de generali declaratione, ex qua D. Paulus per supradicta iam exclusus est.

13 Et ex his sequitur, quod si tacita voluntas Domini pro expressa declaratione sufficit *ex relat. per Corbul. d. num. 8.* intelligatur de

taci-

tacita voluntate resultante ex aliquo actu particulari, (vt modo dictum est) Præterea intelligitur procedere fauore Domini,& eius voluntate præsupposita, *vt per Dec. d. conf. 146. num. 4. ibi. Et in casu nostro voluntas Domini.* tacite enim in fauorabilibus præsumitur consensus *ad Reg. l. qui tacet ff. de reg. Iur.* qui fauor,& voluntas cum cesset, quin potius expressus dissensus vigeat in casu nostro, igitur etiam Corb. & Dec. Dispositio cessare debet: *d. l. adigere §. quamuis ff. de Iu. pat. cum sim.* Ex quibus omnibus tam ex Mente Camerariorum, quam verbis ipsius declarationis, de exclusione D. Pauli clarè, & euidenter apparere concludendum est.

Franciscus Boncristianus I.C. & Cleric. Pisanus.

1043.18

Z

99957371

1863 1c


Digitized by Google